



IN PHARMA-
COPOEIAM SEV DI-
SPENSATORIVM AVGVSTA-
NVM PROLEGOMENA
Isagogica.

CAPVT PRIMVM.

De

OFFICIO PHARMA-
COPOEI, ET QVALEM EVM
esse de ceat.

CVM in Prouinciâ Medicâ non
minimum locum sibi vendicet
ars Pharmaceutica, vt quæ Me-
dicinæ pars quedam integralis
existat, Medicina autē apud Ethnicos nos sacra
semper sanctâq. sit habita, necesse est vt Phar-
macopœus artem iam dictam tractaturus, vir
A bonus

PROLEGOMENA

bonus sit, pharmacorum parandorum rationem & modum exactè tenens, eiusq; quamprofitetur artis apprimè peritus.

Proinde eum Christianâ fide primitus imbutum, ac inculpatis omnino moribus præditaum esse conuenit; quò præsertim ergà Dominum Dnum Medicinæ auctorem, tum verò & ergà proximum sese talem præstet & exhibeat, qualis pro modulo humanæ fragilitatis, munda conscientie, ac perspectæ probitatis vir expetitur; ut qui Deum ipsum timeat, summum rerum moderatorem obseruet ac suspiciat, eumq; cunctorum operum iudicem & æstimatorem omnia cernentem, quemq; nihil latere potest, totis viribus colat ac reuereatur, qui actionum suarum omnium & singularum rationem, imò ciuium salutem sibi hac in parte creditam ab ipso sit repetiturus. Erubescat igitur clàm facere quidpiam coràm eo qui videt in abscondito, quod præsentè ipso patrare non auderet; nihilq; in professione suâ aggrediatur, vel negliger, vel temerè, multò minus fraudulenter, imò peccata qualibet non pœna metu, sed virtutis amore odio habeat; sitq; pius, humanus, ben-

benignus, affabilis, placidus, misericors, officiosus, ac erga pauperes mitis & liberalis, publicae proprijs ac priuatis anteponeus; atq; insuper aegri necessitatem & periculū fideliter pensans, & in charitatis actibus praesidiis ac exercendis impiger & sedulus, supremum semper praeculis iudicem ferens, nec non aeternae consolationis mercedem à Domino DEO retributore justo de bene actis expectans.

Præceteris autem non sit auaritia nexibus intricatus, cum enim auarus sibi ipsi pessimus existat, nemini bonum eum futurum quispiam crediderit; itaq; in mercibus comparandis propriam conscientiam, proximi salutem, ac sui ipsius honorem diuitiis, & lucro longè præferat: atq; ideo iusto quaq; pretio, haudquam tamen corrupta, putria, exoleta, adulterata vel mangonio deprauata, in noxam, fraudem, ac periculum aegri vel coëmat, vel diuendat; nec sordido lucro inhiet, aut compendia cogitet quibus ciues circumueniat, sperans fidem suam operam cuiuslibet præstitam, maioris quandoq; sibi lucri causam futuram.

Præterea scorta fugiat & aleam, comme-

A 2

satio-

sationes iridem ac ebrietates, hac enim omnia vel socordiam, vel turpitudinem, aut infamiam, ab eo qui circa Medici opera sit versaturus prorsus alienam, plurima verò errores aut negligentiam pariunt; utpotè ebrietas obliuionem & memoria interitum, libido verò considerationis proprij muneris eiusdemq; honesti ab alienationem, & modestiæ ac pudoris excidium, non sine venefici metu vel suspitione; unde mortes quandoq; mortalibus inopina præstantur, fidentibus interniciones, aliis prò egris nocumenta quàm maxima non sine summâ Medici (licet probus ac præstans is sit) famæ periclitatione; cùm, quæ negligētis Pharmacopæi culpâ accidunt, Medico postmodum imputari irrogariq; soleant, & in illius contumeliâ cedant.

Hoc præsupposito Latinam ut linguam Pharmacopæus in tantum calleat oportet, ut non modo Receptarum, quas aiunt formulas à Medicis præscriptas, sed etiam auctores quos consulendi gratia adire non raro cogitur, Dioscoridem nimirum, Galennum, Mesacn, & Botanicos qui de materia Medica, & Simplicibus

tarn

tam vulgaribus quàm exoticis doctè scripserunt, ac passim pro Classicis recepti sunt, ad sufficientiam usq; intelligere queat. Ex ijs & authenticis alijs præsertim probatioribus Simplicium cognitionem & nomenclaturam Græcam, Arabicam, Latinam ac Germanicam addiscent; sic enim falsa à veris discernere, adulterata à synccris discernere, ac inter bona, mediocria, optima, ac irrita iudicium ferre, & delectum habere poterit.

Auctores porrò pro cognoscendis, deligendis, aliunde petendis, ac in quamlibet compositionem nobiliorem præsertim quæ Antidotus fuerit cooptandis ac assumendis simplicibus sibi ex veteribus comparet Galenum, Dioscoridem, Aetium, Aeginetam, Mesuam, Luminare majus, Nicol. Præpos. & Myrepsum, Plinium, Cornelium Celsum, &c. ex recentioribus verò Antonium Musam Brassanolum, Valerium Cordum, Anutium, Fœsium, Fuchsium, Graciam ab Horto, ac Nicol. Monardes, Ioannem Bapt. Syluaticum, Fernelium, Ioubertum, Renodæum. Melichinum, Condenbergium, itemq; Matthiolum, Lonicerum, Tragum.

A 3 Lobg.

Lobeliū, Panam, Dodonēum, Tabernamontanum, Quercetānum, Ioan. Iacobum Weckerum, Heurnium Clusium, Osvaldum Crollium & consimiles, exijs namq; tam Simplicium, quā Compositorum notas ac animaduersiones, itemq; præparationes, absq; magno labore decerpēt, si quid vel scrupulosum vel dubium, aut absens in hac nostrā Pharmacopæia sibi obtigerit.

Officinam præterea habeat salubri ac perfato loco sitam, à ventis, pulueribus, fumis & fœtoribus alienam ac remotam; quā mundam nitidam, & tersam seruare modis omnibus annitatur, ut à Medicamentorum præparatione omnis prorsus sordities exulet, quæ tanto maiori fastidio assumuntur, quanto maiore opificis fœditate parantur. Inde fessam autem semper diligentiam Pharmacopæus adhibeat, ut herbas, flores, fructus, radices, semina, ac reliqua in vniuersum Simplicia, quantum potest lectissima, iusto ac debito tempore colligat, mundet, exiccet, ac reponat, eaq; instrumentis debitis ex usu artis tractet, postmodumq; locis, vasis, pyxidibus vel thecis commodis condant,

dat, & in futurum usum à tereidine, putredine, carie, ac corruptione reseruet.

Nemini quog^{ue} absque peritii Medici consilio & præscripto, vel ordinatione, aut sine Magistratus licentiâ, venena, philt^{ra}, menses pellentia, ac abortum prouocantia pharmaca diuendat, nec ea ministros, vel amanuenses suos vendere permittat, qualia non nisi spectatâ fidei hominibus, minime vero uetulis, circumforaneis, aut promiscua vulgi plebecula committi possunt ac debent, id quod de Opiatis Medicamentis, utpotè periculosis, itidem dictum ac intellectum volumus.

Facultates quog^{ue} Pharmacopæo ut sint satis ample requiritur, quò singula pro tempore & optatâ occasione coemere queat, nec viles aut exoletas merces, ob paratâ pecuniâ defectum mutuari, vel alio quouis modo acquirere cogatur. Nam si sat diues extiterit, Medicamenta debito tempore, eaq^{ue} justo pretio comparabit, ac si animus ei liber & ab auaritiâ paulò semotior fuerit, præstantissima quæuis paulò largiore pretio, quàm deteriora viliori, libentius coemere studebit.

Inparendis quibusvis Compositionibus, aut Medicorum Receptis sit vigilans, circumspectus & fidelis, ac nihil unquam sine prudentis Medici consilio medicamini parando vel addat, vel subtrahat; aut in eo quidquam immutet, vel temerè ac pro suo iudicio succedaneum aliquod in alterius quod deesse potest Simplicis locum substituatur, aut reponat, sed à perito Medico quid sibi faciendum sit, prout etiam aliàs si dubij quidam casus obuenerint, sciscitetur, ac sanctâ fide eo modo, pondere & mensurâ, qua quæq; prescripta leguntur, diligenter dispenset ac persiciat; ac si quid in ijscelandum fuerit, nemini reuelet, cum morbi non rarò tales obueniant qui detecti agro ignominiam, si non infamiam, aut aliud aliquod damnum inferre possent. Receptarum porro formulas à Medicis prescriptas assignato, quæ eæ paratæ sunt anno ac die, vel describat, vel asseruet; ut si quando eas repetere necessum fuerit, pro ægri hæc commodo in promptu existant. Negotio autem suo ministros adhibeat bonis moribus præditos, ac de vitæ honestate notos, qui & artem Pharmaceuticam probè norint,

ac dextrè & fideliter exerceant, nec quidquam
in vitam, aut valetudinem proximi peccent.

De cetero verò morigerum sese gerat &
obsequentem, qui legibus ab amplissimo Senatu
pro Pharmacopœis latis fideliter pareat, ac se-
dulus obsecundet; in ijs enim omnia ac singula
comprehenduntur, quæ Pharmacopolam &
observare decet, & deuitare conuenit.



CAPVT SECVNDVM.

De delectu Medicamentorum
Simplicium, & quibus notis eorun-
dem adulteria deprehen-
dantur.

PRout in animantibus, sic etiam in stirpi-
bus, plantis, ac terrâ genitis, alia alijs præ-
stantiora esse, natura parens voluit, ne nume-
rosa aequalitas rerum confunderet ordinem;
atq; sic inter debilia ac fortia, subtilia ac cras-
sa, dura & mollia, nobilia & ignobilia, noxia
ac innoxia discrimen aliquod appareret, quo
vnumquodq; sua pro dignitate pensaretur, un-

A 5

de